DE

ANIMI COMMOTIONUM IN CORPUS EFFICACIA

COMMENTATUS EST

AD

SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE ASSEQUENDOS

CONSENTIENTE

GRATIOSO

MEDICORUM ORDINE BEROLINENSI

ADOLPHUS IULIUS GRUBER

HALENSIS

SENTENTIAS CONTROVERSAS DEFENSURUS

DIE XIV. M. DECEMBRIS A. MDCCCXLIII

CONTRA ADVERSARIOS

I. BRUEG, MED. ET CHIR. DR.

TH. ROEDER, MED. CAND.

R. CONTIUS, MED. CAND.



VIRIS

PRAENOBILISSIMIS, DOCTISSIMIS, INTEGERRIMIS

FR. AD. KLIEN,

IURIS UTRIUSQUE DOCTORI,
CIVITATIS BUDISSINAE PROCONSULI, CUI PUBLICAE
DISCIPLINAE CURA DEMANDATA EST,
COMPLURIUM SOCIETATUM LITERATARUM SOCIO,

AVUNCULO DILECTISSIMO,

IO. NIC. WEBERO,

MED. ET CHIR. DOCTORI,
MEDICO APUD HALENSES PRACTICO,
SOCIETATIS NATURAE CURIOSORUM PRAESIDI,

ET

HERMANNO SEIDLERO,

PHILOS. DOCTORI,
AMICO CONIUNCTISSIMO,

HOC OPUSCULUM

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Anxius et securus ad hanc commentationem scribendam aggressus sum. Quid enim metuat is, qui de re est dicturus, quae, quamvis ad medicam et scientiam et artem proxime pertineat, semper tamen a medicis tantum non omnibus neglecta iacuit atque etiamnunc iacet? Atqui quum medici soli iudicium de opusculo meo ferre possint, non est sane quod me vexet, quoniam certo scio, illos non fore severos judices, qui ne fugitivo quidem oculo hasce pagellas inspexerint. Et si qui sunt ex amicis, qui quae scripserim perlegant, hi nisi amice iudicare non poterunt.

Attamen si reputo, scribendae dissertationis officium mihi esse eo impositum, ut palam ostendam et quo hucusque in litteris addiscendis progressus sim, et quid in posterum de me sperare liceat; si memini me hanc rem accuratius tranctandam elegisse non aliorum, sed mea ipsius caussa; si denique eo adductum me video, ut repetere cogar, quas in aliis semper deriseram, miseras cantilenas de rei summa difficultate et de temporis angustiis et de fine ipso saepius mutato: — quo, quaeso, animo hoc opusculum edere possum, qui mihimet ipsi neutiquam satisfecerim?

Ex quo enim animum applicavi ad medicas litteras diligentius cognoscendas, summo studio eam partem amplexus sum, quae versatur in describendis morbis animi. Cui rei, quam initio animi explendi caussa et comperiendi cupiditate adductus attigeram, sed cuius summam et gravitatem et utilitatem mox perspexi, quum in dies maiorem operam navarem, fieri non potuit quin

dubius fluctuarem quum viderem, medicos doctissimos et harum rerum experientia celeberrimos inter se dissentire ita, ut plane diverso modo explicent hos morbos, unde oriantur et quomodo solvantur et quam curationem desiderent. Omnibus autem opinionibus, quae his de rebus prolatae sunt, veri quid subesse, nemo est qui infitias ibit; sed quae tandem sit verissima atque omnibus numeris absoluta, difficillimum est diiudicatu.

Quos dubitationis aculeos ex magna parte mihi evulsit Anthropologiae studium sincerius. Hinc enim cognovi, quantopere vituperandi sint medici ii, qui in morbis et explicandis et curandis nil spectent nisi corporis conditionem ab externarum rerum vi noxia mutatam, posthabito commercio illo, quo animus et cum corpore et cum rebus externis et cum aliorum hominum animis coniungitur. Quod quasi connubium quantum valeat ad corporis sanitatem tam servandam quam pervertendam aut restituendam, quo facilius unusquisque in se ipso experiri potest, eo magis miraberis, quod vel in clarissimorum medicorum libris harum rerum fere nulla mentio facta sit, nisi quis animi commotionum in corpus vim in referendis morborum causis q. d. praedisponentibus verbo tetigerit.

Quum igitur a medicis nihil certi his de rebus cognoscere me posse senserim, constitui philosophos adire, ut eadem progrederer via quam Anthropologia sequitur. Persuasum enim habui, nullam facultatem neque vim ullam homini a natura esse datam, nisi qua certum finem assequatur; erat igitur progrediendum ita, ut eo ordine, quem natura ipsa constituit, observaremus quae et quando facultates oriantur, quae sit earum vis et mutua relatio, ut ex omnium commercio explanaremus quae sit natura hominis ipsius et quae humanae vitae destinatio. Quid hac via progredientes profecerimus, eos non latebit, qui quae primo capite significavimus potius quam demonstravimus, noverint.

Iam autem ratio reddenda, qui factum sit, ut ex iis quae his de rebus hinc illinc collegerimns, has potissimum particulas, ab aliis iam saepe tractatas, proposuerimus. Quum cognoverim equidem, quam vim exserat in emendandas atque promovendas animi facultates vis illa quae inepto nomine vocata est repraesentandi facultas, constitui apud me in huius naturam, quam proxime tam cum corpore, quam cum animo quasi cohaerere intellexeram, penitius paullo inquirere, eo maxime consilio perductus, ut inde pervidèrem, quomodo morbi vegetationis procreare possint varias hallucinationes et phantasmata, modo quasi legibus certis adstricta, modo nullis regulis moderata. Quo studio mox eo ductus sum, ut intelligerem, phantasiam non solum cum coenaesthesi arctissimo vinculo esse coniunctam, sed eius vim et excitari omnibus tam corporis quam animi sensibus, et ipsam eos posse gignere. Quoniam vero sensibus incitentur omnis nostrae et cogitandi et agendi vires, sensus autem cum phantasia iuncti sint, facili negotio augurari licuit, phantasiae etiam cum mente et ratione, ideoque cum agendi facultate esse quasi connubium quoddam. Sed quum fructus, quos ex his studiis reportaveram applicare vellem ad morbos animi explicandos, iam fatendum erat, me plura quidem melius quam antea, intelligere et explicare posse, sed restare tamen haud pauca, ad quae dilucidanda et enucleanda vel haec scientia non sufficiat.

Cogebar igitur me angustis finibus continere, ita ut nihil proferrem quam quod vel ratione vel experientia comprobaretur. Quam ob caussam, quum scribendae dissertationis necessitas urgeret, ex adversariis meis haec pauca composui, quibus et digito monstrarem, qua via in addiscendis litteris medicis progressurus sim, et proferrem quaedam, quae iis qui his in rebus nondum versati sint, prodesse possint.

Cap. I.

Ante omnia definiamus necesse est, quanam in re animi notio et ambitus poni absolvique videantur, de quibus hodieque non minus quam de animae ingeniique significationibus est sententiarum varietas. Qui enim horum verborum aliquando obtinuit usus aequalis, qui etiamnunc deprehenditur, probandus quidem non est, sed vix dubitabis, quin inde originem duxerit, quod, quae in hominibus sentiunt, cupiunt, agunt, singulari quadam vi comprehendi et niti visa sunt, variis illa quidem motibus se manifestante.

Iam vero, si ex verborum usu triplicem hanc potentiam naturae nostrae, quae singulae iunctim in vi suprema illa atque e corporis regione remotissima pōnendae videntur, adumbrare volumus, haec fere invenimus.

Duplex omnino humanae vitae natura apparet, quarum altera corpore comprehenditur, quod communibus naturae adspectabilis necessitatibus adstrictum per se caret peculiari separatarum actionum facultate nec nisi externis vitae conditionibus adscribitur, ut cito periturum. Neque tamen omnes mutationes, quibus obnoxii cernuntnr homines, explicari possunt ex mutua quadam virium naturae et corporum tam mechanicorum, chemicorum, physicorum, quam organicorum attrectatione: quae quidem vis in homine sita est horum effectuam auctor, ultra corporis adiuvantis opem

elevata, appellatur *spiritus*, ac, quatenus interiore communione cum corpore nostro coaluit nec nisi per membra fungendo sere manifestase potest, nominatur *anima*. Quae spiritus appellatio, ex qua opponitur corpori, tamquam materiâ vacuum, absolute liberum et immortale quid in rerum natura appareat, ut corpora vigore animanti penetrans et consociatione sua materiei organicae notionem corporis humani iniungens, vulgaris sermonis consuetudine facile probatur (v. c. *exanimis*, *animatus* caet.).

Verum enimvero multo est difficilius explicatu de *animi* notione, qua in constituenda linguae leges et indicia sequenda ducimus. Manifesta est vocis ipsius varia sententia et ambigua interpretatio, quae in germanica lingua multo etiam dilucidior cernitur, quum duo verba „Gemüth et Muth" existiterint, quae nil nisi eandem vocabulorum originem resipiant, in latino autem sermone eadem voce soleant enuntiari. Atque princeps quidem significatio verbi „Muth" (muet, modh) in *motu* dabatur, et in *animae mutationes* adhibita, cupiditatibus adnectebatur sensuum, intercessione exoriundis, quae quidem maxime conspicuae essent corporis agitati motibus. Cuius notionis licet iam obliteratus usus sit, tamen qui inde fluxit animi significatus hancce originem velut e longinquo ostendit, quandoquindem hominis conditio illa exprimitur, secundum quam et voluntatis et actionis vis per sensus promovetur. Prior haec significatio verbi „Muth" quibusdam proverbiorum sententiis etiamnunc conservata est, veluti quum dicor animi erecti vel depressi et abiecti esse (*guten Muths und üblen Muths sein.*) quibus designantur tam sensus quam notiones, quae vel ex corporis vel ex animae conscientia proficiscuntur: placide igitur vel male disposita et aspera nostra conditio. Quodsi iam accuratius quid his notionibus significetur perlustramus, nequit non probari, verbo „Muth" singulos quosdam animi affectus designari,

brevi transituros; neque negandum erit, animum ipsum non *singularem* animae facultatem esse posse, sed complurium facultatum et conditionum quandam complexionem perhibendum esse, in quibus quod sentiat et concupiscat, principium videatur praevalere.

Cui quidem definitioni adversatur, quae philosophorum est enunciatio, ubi *animo* dicuntur contineri *omnes* quae naturae humanae insunt, facultates, *spiritu* autem intellectus, et *anima* sentiendi cupiendique facultates denotantur (pari itaque significatione, quae ani*mi* erat). Clarius tamen fiet subtiliore inquisitione, verborum magis quam rerum discrepantiam esse obviam. Etenim si animum statuerimus esse nihil aliud quam eam hominis conditionem, qua lege quasi quadam actiones et voluntates per sensuum vim moveri possint, facillime intelligitur, neque sentiendi nec concupiscendi solum facultatem ei subesse, quamobrem maxime ex re et esse et fore arbitramur, utriusque facultatis inde ab origine sua persequi motuum rationem.

Quum hominem organismus aequabiliter compositus appareat ex organis physicis psychicisque, quorum sua quidem quodque vi agere valeat, virium tamen externarum admissionem et influxum nequaquam secludat, manifestum est, sola hac virium externarum concitantium et organorum concitabilium contrectatione nasci *vitam*. Mutationum vero earum perceptio, quae extrinsecus corpora invadunt, nomine *sensus* (Empfindung) appellatur, in qua igitur quod intus corripiatur rerum externarum praesentia et relatione postulatum cernitur. Neque tamen nulla est in sensu ipso diversitas notionum saepius a nostratibus mixtarum „*Gefühl* et *Empfindung*;" unaquaeque enim extrinsecus ad nos accedens affectio tollit virium quasi aequilibrium, aut summovendo aut praepediendo singulas; quarum affectionum *cognitione*, vel iucunda vel iniucunda illa, ab sensu disgregatur sensationis vis. Quare alteram sensus nostri partem dici oporteat *eam* animi agentis rationem,

qua concitationis omnimodae vim et naturam persentiscimus. Hac enim in re tantummodo *patitur* sensus, qui *agit* in aliis rebus.

Ubi enim externis affectionibus quaedam mutatio fit conditionis nostrae, sensu excitatur *desiderium*, quod ut expleatur apportandis rebus in quaestione positis, sensus exserit potestatem suam in alias animae facultates eamque mutaturam vel concitaturam. *Desiderii* enim sensus est ipsa illa affectio, cuius vi omnes animae facultates ad agendum provocantur; licet quaevis earum ex sua lege fungatur et separatim agat, secreta ab reliquis. Quaelibet vero certo quodam *impetu* pellitur, quo nescia quasi et invita, sed tamen legum potestate haudquamquam exsoluta, ad suum finem feratur. Humanae autem naturae impetus quadripartitus est, quarum primus in sentiendo, alter in intelligendo ponitur, tertius morum disciplinam et novissimus aesthesin spectat, qui quidquid suave, verum, bonum pulchrumque est ad homines referre suumque facere tendunt. In his quidem, quae hominum quattuor impetibus obiiciuntur remedia insunt desideriorum appetitus explendi; ex his etiam prodit, quatenus pateant vel ad agendum vel ad fruendum constituti fines hominibus. Effluit igitur ex quadruplici fonte quadruplex voluptatis iucunditatisque ratio; attamen homines tantundem iucunditatis et doloris valent percipere.

Voluptatem vero eam intelligimus animi conditionem, quae quando desiderio cuidam satisfiebat, locum habet: itaque suavem quandam, cui addi nihil possit, sensus satietatem, cui *consequens* respondet *iucunditas.* Est in hac sublatum impedimentum nec quoquam interventu prohibitae moventur vitae actiones, voluptatisque virtute praesentissima exoritur libera quaedam hilaritas, quam iucunditatis voce insignire solemus. Iucundis et iniucundis affectuum motibus communis omnium naturarum status communitur, nimirum sensus vitalis ipse, qui nisi in his duobus modis se manifestare non potest, dum aut adiuvatur aut cohibetur vitae actio.

Iam vero, quatenus quodque desiderium cohibitae existentiae sensum indicat, iniucunditatem secum ducit, ac, si vehementius urget, dolorem habet comitem. Haec vero omnis vitae communio est, quum, quiqui in vivis sunt, simul cum vita existentiae quasi quodam appetitu moveantur indeque iucunditatis dolorisve capacitate teneantur. Quum vero in hominibus appetituum quattuor germina exuberent, quattuor desideriis satisfaciendum est: quamobrem studiose videndum, quomodo humana natura pedetentim se explicatura progrediatur.

Qua in re illud iam apertum est, non solum in unoquoque desiderio, dum nascitur, per sensum concitari explendi eius voluntates, sed etiam in ciendis illis per sensum, ideoque in agendi fruendique facultate quandam admitti altiorum progressuum exaggerationem.

Si enim iucunda quadam affectione blande mulcemur, in qua aut diutius commorandi animus nos subit vel studet praeteritae revocandae, — aut si evitandae cuiusdam iniucundae affectionis studio sensus corripitur, quaerit *appetentia voluptatis* quae leniter nos tangant nobis impertiri et renuntiare iniucunditatum fastidiis, unde *appetitus*, tum accedendo tum fugiendo, exit (quem nos dicimus approbationis vel reprobationis affectum). Cupiditas iamiam quasi coeca operam dat, ut removeat defectuum vitia; mox autem nova prodeunt.

Neque enim omnia quae coecata cupidine comprehenduntur in oblectationum numero sunt, neque quae suavia videntur ab utilitate commendantur; ideoque sentitur *iudicii* necessitas, atque ita *sensu* confestim excitatio egreditur ad *intellectum* proficiscendi. Sic intelligendi cupiditas primum concipit rerum imagines, deinde effertur ad earum notiones, quarum quaelibet in singulis casibus communis regulae instar inservit. Iam enim quaecunque obvia est concupiscentia pen-

dere statuitur ex communi cupiendarum rerum cognitione, cui etiam res subiiciendae sint apprehendendae cupidine, quae ipsa igitur intelligentiae serviat. Concupiscentia vero hominis, quatenus mente iudiciique vi regi potest, *voluntas* nominatur, quae cavendum est, ne cum concupiscentia in universum commutetur, neve soli rationi adsignetur. Etiam animalium est quaedam vis concupiscentiae, unius hominis autem voluntas. Est enim *concupiscere* nihil aliud quam ad res optabiles animum applicare, vel, ut a *votis* concupiscentiam distinguamus, attendere ea, quorum usu delectamur. — Ad haec numquam cessare caussas vidimus, quae vel in desiderio quodam, vel in singulari rerum allicientium conditione sitae sint. Vidimus etiam, non a sensibus solis concupisci, eamque concupiscentiam hominum et aversari posse et arripere multo insigniora quam istam animalium. Quodcunque tamen compulsat, voluntatis appellatione nondum denotandum est, quippe quae conscientiam sui tamquam praesumendo postulet, sitque ipsa facultas mea me sponte designandi ad agendum omittendumve pro animi lubitu, ubicunque optionis potestas fit, in qua cogitandi cognoscendique facultates adhibendae sunt, a quibus destinationis caussa et principium ponuntur. Quae ad concupiscendum impellit *caussa* in externis rebus sita esse potest, utpote qua in universum sensus ope ad expetendas evitandasve res et conditiones commoveamur; voluntatis autem *ratio* interno quodam nisu destinatur, ubi cogitatione praeponimus quaequae agenda fugiendaque sint. Voluntatis omnis commotionem, quamvis notabilem, *cognitio* praegrediatur necesse est, nec nisi tum demum reperiri potest, quando *humanae intelligentiae* potestas deprehenditur. — Nec nisi ubi voluntas superat, *actiones* esse possunt. Differt enim *agere a faciendo.* Qui enim *facit* aliquid, vi quadam adhibita operis cuiusdam auctor fit; cui *actio*, ut *internum* quoddam, necessario prior est.

Omnino *actionem* esse intelligimus cupientium naturarum earumque operatarum consequentiam, exquisitam intelligentia ad effectus provocandos. Qui sub sensus cadit effectus, *factum* nominatur, in quo quasi finis faciendi, quod insuper per vires ad haec necessarias et sensuum instrumenta debet accedere. (Fit inde notio germanica *Handlung*, *Behandlung*, *Verhandlung*.) Potest quidem etiam animal agere dici; dicendumque adeo est, quoniam quaedam intelligendi vis ei non abiudicanda. Humanae vero actiones inde a conscientia sui profecturae ad altiora semper evehuntnr, ut magis magisque extollantur. Quodsi hae actiones, ut interni animi actus, studiosius considerantur, eas liquet semper in fine quodam ponendo consistere, nimirum in animi deliberatione de industria appetentis quaedam et eligentis adquirendorum eorum adiumenta. Finem vero propositnm dicimus, quod relatione quadam sua bonum sit, utile et habile et decorum et concupiscentiae obiectum, quod attendat vis cogitandi eius assequendi et attrectandi caussa; qui vero finem voluerit assequi, eum oportet aptissima sibi deligere adminicula. Quod quidem nisi cognitione fieri non potest: qua de caussa certissimum est, animi, finem quendam deliberato consilio appetentis, optione data, se ipsam destinandi facultatem locum habere non posse, nisi dum se ipsum certa lege moderando ad agendum confert, ideoque voluntatem sumit priorem. Hanc interiorem actionem sequitur effectio, quae ex illa recte videtur suspensa esse.

Sed brevi iam conprehendamus quae hucusque exposita sunt.

Est in homine facultas sentiendi. Sensationibus moventur sensus, quibus normalis ac iustae hominum conditiones et declinationes ab illis, quaequae demum obveniunt, nunciantur. Quae sentiuntur desideria per sensum movent concupiscentiam, h. e. desiderii removendi explendive appetitionem. Nulla est sine desi-

derio concupiscentia. Solum desiderium procreat geminum vitalem appetitum, nimirum existendi illum et bene se habendi. Inde ad omnia funditur commotio et agilitas, et primum quidem sensuum libidines suum fructum efflagitant. Interest autem inter concupiscendum fruendumque appetitio, quae nititur vi aut sensuum aut intelligentiae. Ex parte quadam haec posterior etiam in animalibus occurrit, quamvis in hominibus praecipue insit. Quum vero intellectus humani facultates non omnes simul explicari atque efformari queant, sed sensim et per aliam alia exuberet, sunt certi finium ambitus constituti, qui quasi sepiant humanae appetentiae nisum, sistantque certos quosdam stadiorum humanorum numeros. Quarum classium a natura positarum quaternus numerus est, quod modo hoc modo illud intelligentiae principium videtur praevalere.

In prima autem periodo vita animalis viget, neque intelligentiae ullius principii haberi ratio potest. In altera, quae ab conscientiae ortu incipit, praecipuum locum tenet imaginandi vis et concipiendarum notionum facultas, in qua itaque sensuum speciosi appetitus imperant solaque delectationum perquirendarum studia. Haec tertia periodo excipitur, in qua excellit mentis rationisque vel cogitandi facultatis imperium, ubi meditando et deliberando consilia ponuntur; indeque facie rationabilitatis distinguitur. In hoc igitur non solum oblectamenta ponuntur, sed utilitatis ratio habetur. Hinc sequitur ut humana et concupiscentia et appetentia ab sua intelligendi ratione nexa esse debeat, qua moveantur effecta illa cogitando, quo se ipsum ad quaequae velit praefinit, neque ullis sensuum tactibus et incitamentis motus cognitiones atque iudicia sua sola sequitur. In qua facultate voluntatem consistere vidimus, atque, quoniam cogitandi cognoscendique vi praeditus cernitur homo, voluntatis particeps dicendus est. Iam quum sibi conscius sit, in eligendis rebus cupiditatum appetitionibus obiectis, sua unius potestate se

deliberato consilio necesse esse duci, licentia in eum cadit, quae rebus utilibus adhibenda est, i. e. iis rebus quae aptissimae videntur bonaeque ex comparationis relatione. Si enim secus fecerit, cum taedio et aegritudine detrimenta proficiscentur.

Qnae quum ita sint, se ipse necesse est procuret homo, sibique quae suaviter beneque afficiunt subministret. Neque tamen huius procurationis studium ex desideriis cito natis brevique cessaturis oriri fas est, sed futuris etiam providere debet. His etiam promovetur internae vitae grata quaedam agilitas, quam comitantur optatorum votorumque deliciae et inclinationum, desideriorum, omnino animi commotionum copiae, quorum concursu sentitur desiderium pernoscendi quidquid per se bonum sit, unde suprema et primaria animi potentia concitatur. — Ubi enim cognoverit rationis potestatem, tamquam conspiratione quadam nisus moralis vim suam exserere occipiet, suam se constituendi potestatem, vacuam illam ab omni externorum irritamentorum compulsatione. In qua quidem facultate humana libertas manifesto conditur, sine qua non possit vita ad quendam finem propositum dirigi. Verumtamen assequi illum non valet, nisi regularum principiis regatur, quae vita ipsa acturis pro legibus fixit. Homo autem, quatenus haec valet, se agnoscit rerum earumque finitarum carceribus emissum, tamquam sublimioris cuiusdam rerum ordinis membrum, novitque spiritalem suam naturam et dignitatem.

Itaque tres invenimus appetitus in humana natura commoveri, qui quidem agendo inter se pugnant, quum triplici modo dispesci possint. Quae enim iucunda sunt, ab utilitate possunt, et qnae utilia videntur a bonitate dissidere. Ita non minus, quae sensuum deliciae et blandimenta sunt, aversatur mentis iudicium, quam a ratione novimus reprobari quae menti tamquam utilia deligenda visa fuerant. Sic cum appetentia cupiditas decertant contra licentiam regularumque nor-

mas, atque hae contra voluntatem et legem continuo. Quae quidem misera discrepantia ut tollatur, tres conditiones superesse cogitandae sunt.

Homo enim aut sensuum imperium potest praehabere menti atque rationi, aut utilitatis cognitioni postponere oblectamentorum usum, aut operam dando, ut solius spiritus natura in se tamquam repercussa splendeat, vitae suavitatem sibi acerbiorem reddere; aut si consulto subiicere laborat uni appetitui reliquos, vel sensuum arbitrio apparet servire, vel regulae mentis vel rationis legi. In utroque casu se ipse singula quidem voluptate potest delectare; quum autem aliarum facultatum potestas per vim tantum ad servitutem adacta sit, ipsum praeter naturam existere manifestum est. Quum enim lege naturae omnium facultatum et virium necessaria sit et concinna actio, dissociatio illa ita tantummodo via naturali amoveri potest, ut homo omnes, quae naturam suam conforment, facultates tamquam concentu quodam conspirare iubeat. Quamobrem et natura ad *aesthesin* appetitu peculiari homines temperantur, quae quidem nihil est aliud quam (quasi) nisus ingenii formativus, cuius actione ad procreandum pulchrum intenta animo debeat satisfieri, consociandis in suavem concentum cunctis animi facultatibus. Est eius quasi instrumentum imaginandi vis, quae, utpote cooperatura sive ingenii sive intelligentiae facultatibus, legibus vel adstrictior vel solutior, dicitur variis nominibus vis imaginandi, recordatio, memoria,[1] vis informandi et praeformandi.

A re alienissimum foret uberiori expositione tractare, quantam vim exserat imaginandi facultas; est vero dignum quod notetur illud, associando eam sensationibus et inclinationibus influere, has eâ in notionum, notionesque ipsas in illarum societatem vocari. Vim igitur suam etiam dum concupiscimus, exercet, neque hoc est minoris momenti, quam ubi in cogitando et notando praesenti ope patefit. Qua de caussa veris-

sime dici possit, ex eius vi et actione pendere tam ingenii divitias quam animi ubertatem. Nam in quavis facultate nisus ille animae formativus solet cooperari, ita ut iungat omnes animi facultates, neque nisi per hunc stabiliri possit ille facultatum concentus, quo ad normalem hominum conditionem proxime accedamus, quae humanitatis insigni nomine compellatur. Hanc autem cautum est ne putes in naturali quadam beneque conformata dispositione consistere, vel tenera quadam boni pulchrique capacitate, sed perfectissimi animae cultus velut fructus perfectissimus esse debet, libera ille consociatione primariorum humanae naturae appetituum creandus. Natura factum est, ut tres physicae organicornm systematum compagines consociatae appareant, psychica autem trinitas naturae et sensualis et intelligentis et moralis ab ipso homine formari atque componi debet.

Cap. II.

Sed haec perfecta, in omnium a natura homini insitorum appetituum conspiratione posita conditio magis rationi quasi finis ultimus informata est, quam vita quotidiana comprobanda. Fieri enim non potest, quin unus alterve appetitus aut sponte maiore vi et intensione praeditus alios superet, quorum actiones, ex legibus supra iam significatis, sibi vindicat atque subiicit; aut aptioribus conditionibus externis ita provocetur adiuveturque, ut perturbetur concentus ille laudatissimus necesse sit. Qui valentior appetitus, qui ex lege naturali agere numquam desinit, nisi vel aliis quibus libet animi commodis acquirendis coercetur, vel morum disciplina quominus suos fines transgrediatur prohibetur, reliquas animi vires facultatesque in suum usum non convertere non poterit, usque dum, horum

commodis et desideriis posthabitis, ipsis actionibus suis roboratus in consuetudinem abeat, animumque semper in eundem finem intentum teneat. — In quibus conditionibus facili negotio intelligitur contineri omnia *animi perturbationum* germina, quae et a Graecis et a nobis aptiore nomine nuncupantur *animi pathemata*, quippe quibus, non quidem ut alii volunt demonstrare, cogitandi et iudicandi omnis vis hebetetur tollaturque, (quae aucta etiam appareat necesse est) sed quibus, quidquid mente agitur ad removenda vel perpetranda appetitus regnantis desideria dirigatur.

Harum autem animi perturbationum duo genera a philosophis referuntur, quorum alterum cernitur in *affectibus*, qui eo potissimum ab ipsis pathematibus differunt, quod neque tam diu perdurent atque semper a iudicio proficiscantur necesse sit. In quo cavendum est, ne alia iudicia posse affectus ciere arbitreris, quam illa, quae ad propria commoda nostra et utilitates pertinent, ideoque cum animo nostro arctissimo vinculo coniunguntur. Omnino autem affectuum duae classes sunt, quae ex variis nominandi principiis varie distribuuntur in *activas* et *passivas*, *fortes* et *mites*, *iucundas* et *iniucundas*.

Uberiore eorum enumeratione supersedere nos posse arbitramur, quum de rebus in vulgus notis sermo esset instituendus. Neque, opinor, accuratior et fusior pathematum tractatio a nobis desiderabitur; sed sufficiet illud adnotasse, eorum numerum respondere appetitibus nostris naturalibus: quamvis hac re tantum abest, ut reiiciamus *Kantii* divisionem, ut eam quam maxime e natura esse perbibeamus.

Sed iam necesse est progrediamur ad eam commentationis nostrae partem, qua, quidquid hucusque est prolatum, quasi exemplo illustremus, et demonstremus, quantopere necesse sit, unumquemque qui velit cum successu medicinam factitare, imbutum esse

animi pathematum, eorumque in corpus efficaciae cognitione accuratiore.

In qua re diligentius tractanda non possumus quin inde exordium petamus, ut verbo quidem tangamus sententias illas, quibus *quomodo et quam vim animus in corpus exserere possit*, dilucidare sustinuerunt physiologi.

Si vero demonstrare velis, *quomodo* animus cum corpore ita coniunctus sit, ut mutata alterius conditione alter immutatus permanere nequeat, dubius certe haesitabis.

Sunt enim qui omnem tam rationis mentisque quam animi vim pendere putent e corpore et potissimum ex nervorum systemate, quam opinionem his fere rationibus fulcire conantur. Vis ad materiam ita est quasi adligata, ut ab ea sejuncta cogitari non possit; quoniam a vi ipsa actio nullo pacto dissolvi queat, actio autem a vi perfici non possit nisi materia adiuvante. Ex quo facile intelligitur *δύναμιν* ipsam magis minusve a materia esse deducendam. Transferamus igitur hanc ab ipsa rerum natura comprobatam veritatem ad vim organismi nostri vitalem. Quae corporis vis vitalis si agit aliquid atque molitur (id quod ipsi, siquidem est vis, faciendum est), perficere consilia non valet nisi per materiam, h. e. per corporis humani organa. Quam varia autem haec organa, tam varia laborans illa vitalis vis. Iam vero quo melior et perfectior est substraminis materia, in qua et per quam vis agit, eo perfectiorem et maiorem vim agentem apparere necesse est. Itaque, quo perfectius et absolutius est corporis organum, in quo et per quod vis vitalis agit, eo perfectior et absolutior ipsa deprehendetur. Quum autem corporis nostri perfectissimum organum sit cerebrum, necesse est, in eiusdem actionibus eluceat vis perfectissima, quae est sentiendi, cogitandi, volendi.

Alii vero, qui observassent ex diversis animi perturbationibus suas quamque mutationes in corpore excitare, memores pristinae illius animi facultatum divi-

sionis, in eam inducti sunt opinionem, singulas animi facultates singula organa ut domicilia sua et instrumenta occupare. Tres illas principes facultates, in quibus anima cernitur, tribus corporis cavitatibus respondere opinabantur et harum tribus systematibus illarum evolutionis gradus tres. Itaque vim cupiendi in abdomine, sentiendi facultatem in pectore et cognoscendi vim in capite insitam esse perhibuerunt.

Alii porro, qui huic sententiae, ex qua vis quaedam immediate in certam materiam agat, adstipulari nollent, sed eandem omnino negare non possent, ex his dubitationis laqueis ita se expedire conati sunt, ut tertium quid, intermedium inter materiam et inter vim esse fingerent. Quod e. gr. a Lenhossèkio *βιωτικόν* vocatur, i. e. imponderabile quid, quod continuato cerebri vegetationis processu continuo procreatur et restauratur, per quod anima aptior fiat quae in corpus (vel cerebri materiam) agat.

Omnes has sententias nihil esse nisi conatus id coniectura declarandi, quod penitius intelligere nobis hucusque non licuit, quis est paullo intelligentior quin videat? Etiamsi enim concedam, cerebrum esse organon omnium animi actionum, cogimur tamen confiteri, parca et exilia esse, quae de ratione et nexu virium, quas cerebrum exhibet, cum structura eius et mixtura novimus. Ex hac vero omnes sentiendi, cupiendi et cogitandi diversitates deducendae et explicandae essent. In hac autem quaestione absolvenda non feliciores hucusque fecimus progressus, quam in generandi processu demonstrando.

Utrum igitur anima ab initio diversimode instructa genus et temperamentum corporis, ejus nisu formativo procreati, constituat, an contra corpus originem suam debeat principio cuidam vitali, ab anima ipsa segregando, quod organorum et systematum diversitate animae varietates provocet — hanc quidem quaestionem missam faciamus necesse est. Quamquam enim infi-

tiandum non est ab huius sententiae parte stare plurimas observationes hucusque factas, cavendum tamen hac in re, ne temere et cum levitate diiudicemus. Nostrum tantum est mutationum in corpore observatarum, quas ab animi perturbationibus profectas habere debemus, exempla proponere. Notandum autem me eam partem, ubi de sigulorum organorum nexu cum animo agitur, consulto omissurum. Etenim qui cognoverit, quam sit difficile in his rebus discernere quae sit caussa, qui effectus, profecto id mihi vitio non vertet, quod tam angustis finibus me continuerim. Qui autem uberius hanc rem expositam cognoscere studet, is, praeter Lenhossìkii librum celebratissimum (über das menschliche Gemüth etc.) conferat Starkii: fragmenta pathologica, ubi de ratione singulorum affectuum ad certa organa disseritur, (hepatis, lienis et ventriculi ad iram; cordis et pulmonum ad fortitudinem — aut timorem; oculorum ad superbiam aut pudorem).

Cap. III.

Ex magno animi perturbationum numero cur potissimum iram et fortitudinem exponendas mihi sumserim, vel me non monente unusquisque intelliget. Satius igitur duco, omissis praefandi ambagibus, ad rem ipsam me convertere.

Ira est ea animi commotio celeriter excitata, quae animi vel corporis nostri integritatem defendere studet contra eos, qui nobis detrahere aliquid tentant, quod nobis quasi ius peculiare deposcimus. Neque tamen in ipsam iniuriam saevrit iratus, sed in personam eius, a quo nobis infertur, aut qui eam consulto inferre opinatur. Si iniuria tanta erat, ut ira *exacerbati* simus, tum ira effrenata in *furorem* transire potest, qui cupiditatem excitat irae ita satisfaciendi, ut offensorum rursus iniuriis affligere studeamus.

Considerantes autem irae signa, quae in ocolos incurrunt, non possumus Senecae verba (de Ira I. 1) non exscribere: Ut autem scias non esse sanos, quos ira possidet, ipsum illorum habitum intuere. Nam ut furentium certa indicia sunt, audax et minax vultus, tristis frons, torva facies, citatus gradus, inquietae manus, color versus, crebra et vehementius acta suspiria: ita irascentibus eadem signa sunt. Flagrant et micant oculi, multus ore toto rubor, exaestuante ab imis praecordiis sanguine; labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent ac subriguntur capilli, spiritus coactus ac stridulus, articulorum se ipsos torquentium sonus, gemitus mugitusque, et parum explanatis vocibus sermo praeruptus, et complosae saepius manus, et pulsata humus pedibus, et totum concitum corpus, magnasque minas agens, foeda visu et horrenda facies depravantium se atque intumescentium." — Ex quibus, licet male ordinatis, signis iam intelligitur, excitationem a nervis abdominalibus, ac primum quidem hepaticis proficiscentem, propagari in nervos extremitatum, imprimis inferiorum (organico nexu cum his cohaerentes) et in nervos thoracis et capitis. Hinc circuitum sanguinis in peripheriam accelerat, sanguinem in caput et in oculos propellit, et secretiones glandularum capitis, inprimis glandularum salivalium et lacrimalium adauget.

Quae mutationes si nimiae fiunt, tunc noxiae irae sequelae existunt.

Larga secretio bilis perversae cardialgiam, enteralgiam, vomitum biliosum et Diarrhoeam ex eadem caussa proficiscentem efficere potest. Potest etiam accidere, ut hac nimia hepatis irritatione bilis excretio supprimatur, et ductuum biliarium coarctatione spasmatica retentio bilis cum ictero oriatur. Saepe etiam in foeminis lac adeo perverti videmus, ut in infantibus colica, Diarrhoeae biliosae, spasmi atque supina mors existant.

Vasorum porro actione nimis aucta congestiones activae ad ventriculum vel ad caput atque ita haemorrhagiae, apoplexia, hepatitis et febris biliosa proveniunt.

Nimis magna excitatio organorum materierum convulsiones et insultus epilepticos efficere potest.

Fortitudo est ea animi conditio, qua aptum statum virium voluntatis nostrae et motionis sentimus, quo quamque iniuriam aut corporis aut animi nostri securitati imminentem defendere parati sumus.

Cum sit ex excitantibus effectibus, necesse est hunc effectum exhibeat in nervi sympathici plexus thoracicos, in nervos respiratorios et in nervi vagi partem thoracicam, ita ut per haec se expandendo vasa pulmonum capillaria et ganglia etiam peripherica abdominis impellat.

Animosus fortitudine igitur alte spiritum ducit, quae fortior et vehementior organorum respiratoriorum incitatio organa vocis ita stimulat, ut hunc impulsum vociferando, clamando canendoque sublevando augeant.

Respiratione liberiore sanguificatio indeque vegetationis omnes processus perfectiores redduntur, id quod in levitate actionum illa et liberiore roboris conscientia proditur, quae vel in motus involuntarios abire possunt.

Noxias autem sequelas fortitudo primum exhibet in corde, quia hoc organon ad nimias actiones excitatur; tum in maioribus vasorum truncis, in organis respirationis et vocis, ita ut febres inflammatoriae, inflammationes ipsae cum vitiis organicis has sequentibus existant.

VITA.

Adolphus Julius Gruber natus sum die II m. Septembris anni MDCCCXX patre Joanne Godofredo et matre Sophia e gente Richteria. Primas litteras quum a domesticis praeceptoribus edoctus essem, ad Niemeyerum, V. Cl., deductus sum ut in Paedagogii Regii Halensis discipulos reciperer. Ibi per septem fero annos optimorum magistrorum disciplina eruditus, anno MDCCCXXXIX testimonio maturitatis instructus consilium cepi discendarum litterarum medicarum. Quare nomen apud Friedlaenderum, V. Cl., ordinis medici Halensis, et apud Eiselenium, V. Cl., ordinis philosophici t. t. Decanos professus sum. A quibus quum impetrassem veniam, quam optaveram, viros doctissimos de rebus tam medicis quam philosophicis disserentes audivi hos:

Friedlaenderum de Encyclopaedia a. med., de pharmacologia et historia a. med. *D'Altonium* de omnibus Anatomiae partibus, qui etiam artem dissecandorum cadaverum me docuit, atque physiologiam. *Blasium* audivi de chirurgia, arte fascias applicandi, de fracturis et luxationibus, de akiurgia; *Kruckenbergium* de pathologia et therapia tam generali quam speciali; *Hohlium* de arte obstetricia., *Rosenbaumium* de pathologia speciale.

Ex philosophis audivi *de Schlechtendalium* de botanice; *Germarum* de mineralogia; *Kaemtzium* de physice; *Burmeisterum* de zoologia; *Schweiggerum* et *Doebereinerium* de chemia bis; *Voigtelium* de historia;

Gerlachium de psychologia; *patrem* de Encyclopaedia universali, de logice, de historia philosophiae, de anthropologia, de aesthetice.

Seminaria et instituta clinica frequentavi haec: *Kruckenbergii* medicum bis; *Blasii* chirurgicum ter; *Hohlii* obstetricium semel; *Rosenbaumii* exercitationes de rebus medicis scribendi et disputandi bis; *Voigtelii* seminarium historicum octies.

Anno MDCCCXLIII Berolinum me contuli, ubi clinica instituta frequentavi, *Schoenleinii* medicum; *Juengkenii* ophthalmiatricum et chirurgicum; *Idelerii* psychiatricum. Praeterea audivi *Klugium* de arte obstetricia disserentem. Quibus viris omnibus maximas gratias habere numquam desinam.

Iam vero tentamine tam philosophico quam medico et examine rigoroso rite superato, in eo est ut ad summos in medicina et chirurgia honores assequendos hanc commentationem cum thesibus defensurus sim.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

1. *Aesthetice plurimum valet ad animi morbos tam praevertendos quam curandos.*
2. *Mores hominis partim e ventriculo pendent.*
3. *Probanda est Kantiana animi pathematum divisio.*
4. *Nulli pulmonum morbo ex auscultatione signum pathognomonicum existit.*
5. *Icterus non est morbus.*